





1 Musaei Joh. I diff. in Epist. ad  
Romanos Cap. IX v. 19 - 23.  
jane 1652.

2 \_\_\_\_\_ diff. de vera presentia  
corporis Christi in S. Coena.  
jane 1652.

3 \_\_\_\_\_ diff. II. De natura et  
definitione Ecclesie.  
jane 1655.

4 \_\_\_\_\_ diff. de resurrectione  
Christi a mortuis, jane 1653

5 Musaei Joh. I diff. de Baptis-  
mo, H. Elmer 1664.

1712

DISPUTATIO SECUNDA,  
EX EPISTOLA  
PAULI AD ROMANOS CON.  
tinens ~~etiam~~ tertiae & quartae partis  
capitis primi:

*Cujus positiones divina adjuvan-  
te gratia*

PRÆSIDE DAVIDE RVN-  
GIO, S. THEOLOGIÆ DOCTORE  
& Professore, in privato disputationum  
Theologicarum collegio de-  
fendet,

*M. Zacharias Sommerus  
Fridebergensis Silesius.*

Die 3. Ianuarij Anno 1596. hora septima matutina.



WITEBERGÆ,  
Typis M. Georgij Mullerj, Anno 1596.

GENERO SO, ANTI  
QVANO BILITATE CLA-  
RO, SAPIENTIA ET FORTITU-  
DINE PRÆSTANTI  
DOMINO,

Dn. CHRISTOPHORO SCHAFF COGN-  
MENTO GOTSCHE

ā

KEMNITZ

Domino

in

KTNAST ET GREIFFENSTEIN &c.  
LIBERO BARONI

in

TRACHENBERG.

ILLVSTISSIMORVM DVCA-  
TVVM SCHWIDNICENSIS ET IAVRAVIENSIS  
Cancellario dignissimo.

Domino & Mecœnat suo clementi.

Hanc, ex primo Epistola ad Romanos capite, di-  
sputationem debiti honoris & observantie  
ergo dedicat & offert

M. Zacharias Sommerus  
Fidebergensis.

DISPUTATIO SECUND  
DA EX PRIMO CAPITE EPISTO  
la Pauli ad Romanos.  
TERTIA PARS CAPITIS.

Non pudet me Evangelij &c.



Pigrapham & Exordium sequitur proposi  
tio Epistolæ versu 16. & 17. comprehensa, cujus sen  
tentia est: *Injustia coram Deo valens revelata in Evan  
gelio, est ex fide in Christum Iesum.*

Connectitur autem propositio Exordio per ἀν  
τυποφορὰν tacitæ objectionis: Dixerat Apostolus se in prædica  
tione Evangelij debitorem esse omnibus gentibus sapientibus &  
insipientibus. Quia verò objici poterat, non videri id vel perso  
nae Apostoli vel doctrinæ ipsi convenire: Cum doctrinæ genus sit  
à sapientia hominum alienum. 1. Corinth. 1. & multis videatur  
blasphemum Actor. 7. & Apostolum tanquam Dei legatum meri  
tò stultæ cujusdam prædicationis pudere debeat: Ideò respondet  
Paulus ad utrumq; v. 16. *Non pudet me Evangelij etiam apud sapi  
entissimas gentes Græcas vel Romanas.*

Ratio affirmati prima petitur ex autore & Subjecto hujus do  
ctrinæ: Est enim Evangelii CHRISTI, quod & ipsius man  
dato atq; autoritate proponitur Ecclesiæ Marc. 16. Acto. 1. & de  
ipso, ejus persona, officio & beneficijs concionatur Luc. 24. Act.  
10. Hinc ita concludit Apostolus: Christi Salvatoris mei me non  
pudet, ergò nec doctrinæ ejus.

Secunda ratio sumitur ab attributo rei. Evangelium est po  
tentia Dei, qua metonymica phrasè significatur, doctrinā hanc non  
esse stultitiam & inanem sonum vel literam mortuam, sed habe  
re vim & efficaciam planè divinam: Neminem igitur merito ejus  
pudebit.

Tertiò à fine rei, Est potentia Dei ad salutem, Lex est potentia  
Dei ad damnationem, Philosophia quoque nihil ad salutem æ  
ternam consequendam confert, sed Evangelium est unicum illud  
efficacissimum medium, quo Deus salutem æternam dispensat.

Hunc finem cum propositum habeam, inquit Apostolus, quare  
me hujus doctrinæ puderet?

Ne verò alicui oboriatur suspicio, quasi Evangelium promi-  
scuè omnibus hominibus sine ullo respectu fidei vel incredulita-  
tis salutem promittat, additur limitatio tertio argumento, quod  
Evangelium salutem quidem offerat omnibus hominibus, sed ea  
lege, si credant: Conferat autem & revera operetur promissam  
salutem omni credenti. Et in hoc membro ordinem dispensatio-  
nis simul innuit, quod Iudæo primùm deinde etiam Græco, hoc  
est, gentibus quibuscumq; hæc beneficia in Evangelio proposita  
sint.

Huic asseverationi subjungitur v. 17. principalis propositio  
per ἐπεξήγησιν ejus quod dixerat, Evangelium esse potentiam Dei  
ad salutem omni credenti: Monstrat enim, qua in re hæc poten-  
tia sita sit, & qua ratione Evangelij doctrina finem sibi propositum  
assequatur, nimirum: Quia revelatur in Evangelio Iustitia Dei ex fide  
in fidem, quasi dicat, hoc ipso est efficax Evangelij doctrina ad  
salutem, quia ab æternis temporibus absconditum Dei judicium  
revelat, ostendens justiciam Dei, non qua ipse in se justus est, vel  
qua justiciæ rigorem exequitur, bonis beneficiens, malos puni-  
ens, quæ in legis doctrina patescit, sed justitiam hominis in judicio  
Dei subsistentem, non esse expectandam ex operibus Legis vel  
ullis alijs medijs, sed ex fide amplectente Christi Mediatoris uni-  
ci meritum sibi applicante, Quæ fides non est actus subitus  
aut momentaneus, sed subinde continuatur & sumit incrementa  
ex imperfecta in perfectiore.

Hujus propositionis plenam declarationem & demonstratio-  
nem deinceps traditurus, rationem hoc loco unicam vice omni-  
um subjungit ab autoritate scripturæ Propheticæ desumptam:  
*Iustus fide vivet.* Quæ sententia antithesin continens explicatur  
Galat. 3. v. 11. & 12. Si fide, non ex Lege, neque ex operibus.  
Ostendit igitur, se de tali iustitia loqui, quæ in Evangelio revela-  
tur & consistit in fide sine operibus.

Thesis I.

## THE S I S I.

**E**vangelij neminem pudere debet nec ministrum quoad prædicationem, nec quemvis Christianum quo ad liberam confessionem Matth. 10. Ioh. 5. Ex quo intelligitur, quem religionis suæ pudet eum vel in conscientia de errore convictum esse, vel metu veritatem dissimulare, & gloriam hominum magis diligere, quam gloriam Dei Ioh. 12.

II.

De efficacia verbi Dei scripti vel prædicati: Est enim d'vocatus deus, hoc est, ea res per quam Deus potenter operatur in cordibus salutē Heb. 4. v. 12. Esa. 55. v. 10. Rom. 10. v. 17.

III.

Vtrumq; extremorum h̄ic cāendum, tum eorum, qui hanc efficaciā verbo admunt, quod Suenceldius fecit, tum eorum, qui hanc d'vocaciu non soli doctrinæ Evangelij, sed insuper Enthusiasmis, vel traditionibus humanis, vel cultibus electitys ascribunt.

IV.

Promissio Evangelij est universalis: Evangelium est potentia Dei ad salutē omni credenti.

V.

Discrimen vero est in dictis, quæ de promissione gratiae & vitæ aeternæ verbo Evangelij patescant loquuntur: Alia de ejus oblatione, alia de collatione agunt.

VI.

Offertur gratia Dei in Evangelio omnibus omnino hominibus nomine præterito vel excepto, idq; voluntate Dei seria, juramento confirmata Ezech. 18. & media salutis præparantur omnibus, Christo satisfacente pro peccatis totius mundi, non tantum sufficientia, sed etiam efficacia. Et hæ promissiones de Dei erga genus humanum affectione loquentes, sunt universales indeterminatae. 2. Pet. 3. v. 9. Ezech. 18. & 33. Vult enim Deus omnes homines credere in filium, & salvare i. Tim. 2. v. 4.

VII.

Confertur gratia Dei solis in Christum credentibus, qui soli actu justificantur, & si in vera fide ad finem perseverant, glorificantur. Rom. 8. Et hæc dicta, que loquuntur de Voluntate Dei ordinata ad media salutis sunt universalia, limitata determinatione credentium, ut hoc loco Evangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti Ioh. 3.

VIII.

Sicut Evangelium credentibus est potentia Dei ad salutem, ita incredulis fit odor mortis ad mortem, non sua culpa, sed eorum, qui audiunt, qui

sunt vel manifesti contemptores & Epicurei vel offenduntur hoc genere doctrinæ, idq; commentis pravarum opinionum corrumpunt vel rapiuntur in furorem ac sunt ejus hostes & persecutores 2. Cor. 2. vers. 15. 16.

IX.

Diligenter consideranda discrimina Legis & Evangelij, siquidem his confusis doctrinam de vera justitia hominis coram Deo depravari necesse est, quod in Papatu factum videmus.

X.

Differunt autem notitia: Lex est natura quodammodo nota Rom. 1. vers. 19. & 2. vers. 15. Evangelium est mysterium temporibus æternis tacitum, nunc autem revelatum, Rom. 16. vers. 25. Colos. 1.

XI.

Ad hæc Evangelium hoc textu Pauli appellatur Evangelium Christi, quia de ejus persona officio & beneficj concionatur: Lex vero doctrinam de peccatis & bonis operibus tradit, Hoc fac & vives, Luc. 10.

XII.

Evangelium est potentia ad salutem, Rom. 1. 1. Cor. 1. vers. 24. Lex quia est infirmata per carnem, non potest quenquā hominum quales nunc sunt justificare, Rom. 8. aut vivificare, Gal. 3. vers. 21.

XIII.

Evangelium requirit fidem in Christum, Rom. 1. Lex opera & integræ naturæ conformitatem, Rom. 4. vers. 4. Gal. 3. vers. 12.

XIV.

Lex promittit vitam æternum cum conditione perfectæ impletionis Luc. 10. Galat. 3. Levit. 17. Evangelium promittit eandem vitam gratis per & propter Christum credentibus in eum, Romanor. 3. & 6. Ephes. 2.

Vtique doctrina versatur circa peccatum, sed diversimode: Lex ostendit, arguit, accusat & damnat peccatum: Rom. 3. Per legem agnitio peccati & Rom. 7. vers. 7. Peccatum non cognovi nisi per Legem. Evangelium vero remittit, regit & non imputat peccatum, monstrando Christum tollentem peccatum mundi, Ioh. 1. & 3. Rom. 4.

XV.

Lex est ministerium mortis & damnationis. 2. Cor. 3. vers. 7. 9. facit totum mundum reum Deo. Rom. 3. vers. 19. Operatur iram Rom. 4. ver. 15. Concludit omnes sub peccato & subiicit maledicto Gal. 3. vers. 10. 22. Evangelium est ministerium salutis Rom. 1. Spiritus & justitiae 2. Cor. 3. vers. 8. 10 Verbum reconciliationis, 2. Cor. 5. vers. 20. liberationis & pacis Lex Esa. 61. vers. 1. Luc. 4. vers. 18.

## XVII.

Lex proponenda est securis & hypocritis I. Timoth. 1. Evangelium afflictis, contritis corde Isa. 61.

## XVIII.

Lex monstrat, quæ bona opera Deo placeant, in quibus ambulare debeant renati Ephes. 2. v. 11. Evangelium docet, quomodo hæc opera fieri possint, videlicet ex spiritu sancto, qui per id datur Gal. 3. & docet quomodo obedientia nostra inchoata, quantumvis imperfecta, placeat Deo propter Christum.

## XIX.

Hinc manifestum est, si concionem pænitentiae intelligas talem, quæ arguit, accusat & damnat peccatum, Evangelium propriè & secundum scripturæ normam loquendo, non rectè dici prædicationem pænitentiae, planè enim transformaretur in Legem. Et libro Concordiae rectè hæc metamorphosis Evangelij in concionem Legis damnatur.

## XX.

Si verò accipias vocabulum pænitentia de tali pænitentia, cuius præcipua pars est fides in Christum, quæ pænitentia sola est salutare illud remedium effugiendi iram Dei, & constat agnitione & odio peccati, & agnitione ac amore Christi, fide apprehensi, & habet promissionem remissionis peccatorum & vitæ æternæ, sicut ea sæpè usurpatur Matth. 9. 2. Pet. 3. Ezech. 18. Patet rectè & verè quidem dici posse secundū quid, quod Evangelium sit concio pænitentiae respectu fidei, hoc est, monstrans omnibus, peccata ex Lege agnoscensibus, Christum fide apprehendendum: Sed tamen minus propriè Evangelium hac phrasí definiri; Cum propriè loquendo, Evangelium sit promissio gratiæ de Christo.

## XXI.

Idem esse Evangelium omnibus seculis, & eandem justiciæ & vita consequendæ rationem fuisse patribus Veteris Testamenti, ostendit Apostolus, cum doctrinam de Iustitia fidei ( de qua infra pleniùs dicendum erit ) Prophetæ Habacuc testimonio confirmat, Iustus fide sua vivet Act. 4. 10. & 15. Gen. 15. Rom. 4.

## XXII.

Patet quoque ex hoc loco, alienæ fidei beneficio neminem salvari, ac proinde parvulos, etsi, dum in utero matris sunt, vel in lucem editi, nondum sunt renati ex aqua & spiritu, fide destituuntur, sunt enim caro ex carne Iohan. tertio capite, & natura filiæ iræ Ephes. secundo.

( De



(De casu necessitatis in quo extraordinaria actione Deus ultur, nunc non loquimur) tamen in baptismo vera fide donari, & propria sua fide placere Deo, justificari & vivere. Quae fides non ideo infirma dicenda est, quia non exerit se externis operibus charitatis, sed potius quia non turbatur externis impedimentis, firmissima est. Rationis enim usus quo infantes destituuntur non adjuvat, sed impedit veram fidem.

## QUARTA PARS CAPITIS,

Revelatur enim ira Dei de cœlo, &c.

**Q**uditur Apostolus principalis disputationis partem primam & vñc & vñc  
sikav: Adimitur autem primò gloria justitiae genibus, quibus lex na-  
tura nota erat, tum Iudeis quibus Lex Lei erat tradita.

Propositio hujus Partis est: Gentes habentes notitiam Legis naturæ  
non sunt justæ coram Deo nec illi placent: Hanc sic effert Apostolus ver. 13.  
Revelatur ira Dei de cœlo super omnem ἀστεῖαν & ἀδικίαν ho-  
minum: Omnes enim Ethnicorum actiones non tantum notoriè impias &  
sceleratas, sed etiam superstitiones & eleemosynas cultus Dei, & in genere o-  
mnia peccata prima & secunda tabule his appellationibus complectitur.  
Summa argumenti est hæc: Omnes Gentes summa impietate & injustitia  
sunt polluta: Ergo non sunt justæ coram Deo,

Probatur antecedens septem argumentis:

I.

Quia veritatem Dei, id est, veras notitias de essentia & voluntate Dei  
in mentibus reliquas detinent in injustitia, hoc est, opprimunt & funditus  
extinguere conantur impietate sua. Superesse autem quasdam de Deo no-  
ticias in mentibus hominū dicitur v. 19. τὸ γνῶσθαι γὰρ τὸν θεόν, hoc est, id  
quod de Deo cognosci potest, illis est revelatum diuinus. Ex visibilibus e-  
nim creaturæ operibus invisibilem Dei potentiam & sapientiam agnove-  
runt: Additur conclusio: vers. 20. Cum igitur contra conscientiam &  
principia natura nota agant, sunt διαπολόγητα.

II.

Secundum argumentum ad ἀστεῖαν & ἀδικίαν gentium probandum  
est, vers. 21. Quia Deum agnitus non ut Deum glorificaverunt, nec ipsi  
gratias egerunt. Accusatur hac phrasi profanus Epicureismus gentium &  
contemptus Dei, referentium omnia Dei opera & beneficia non ad Deum,  
sed ad causas secundas, vel ficticia sua numina.

Tertium

### III.

Tertium argumentum vers. 21. Qui cogitationibus suis indulgent & pro arbitrio comminiscuntur varios modos colendi Deum, hi non possunt ipsi placere aut justitiae laudem sibi vendicare: Id fecere gentes: Antecedens amplificatur illustribus verbis: Indulserunt gentes διαλογισμοῖς ratiocinationibus de Deo, summo bono, justitia etc. quæ disputationes quam specie habebant sapientia, tamen revera sapientissimi quiq; stulti facti sunt in his cogitationibus, & cor eorum insipiens obtenebratum est, cumq; vellent dici σόφαι & φιλόσοφοι facti sunt μῶροι vers. 22.

### IV.

Quartum argumentum vers. 23. Gentium notoria impietas ex eo elucet, quod gloriam incorruptibilis Dei mutarunt in similitudinem hominis corruptibilis, volucrum, quadrupedum, serpentium. Poterat autem ratio ipsa eos admonuisse, Deum his non esse similem. Accusatur hoc argumento licentia gentium in effigendis Dei imaginibus, & idolis varijs & putidis comminiscendis ut vers. 23, ipse Apostolus innuit.

### V.

Quintum argumentum est vers. 25. Gentium impietas conspici potest in cultu Dei. Veritatem enim Dei seu verum Dei cultum mutaverunt in mendacium, id est, falsum & supposititum, colendo nimurum creaturas πάρετοπήτισαντα, id est, pro creatore vel præter & juxta creatorem. Accusatur hoc argumento externa gentium idolomania in sacrificijs, hecatombis, victimis humanis &c.

### VI.

Sextum argumentum probans gentium impietatem & adiniav est vers. 24. & 26. 27. Gentes indulserunt fædissimis libidinibus cum ratione & natura pugnantibus, quibus Sodomico furore viri in viros, fæminæ in fæminas exarserunt: Atq; ita ignominia notarunt propria corpora: Ergo à veræ justitiae laude fuerunt alienissimæ. Dicit autem has gentilium libidines fuisse spreti numinis pœnas & turpissimæ idolatriæ mercedem.

### VII.

Septimum argumentum proponitur, vers. 28. 29. 30. 31. Sicul gentes reprobarunt Dei agnitionem. Sic Deus eas tradidit in reprobam mentem, ut facerent, quæ non convenient: Enumerantur autem longa serie peccata Ethnicorum adversus secundam tabulam Decalogi, non tantum exter- na, quæ ipsi Ethnici quoq; seu αδικηματα assimilabant, sed etiam interna, quæ mentis atque animi motu designantur, ut odio, immisericordia. Talia autem qui perpetrant justitiae laude se venditare nequeunt.

B

CON-



## CONCLVSIO.

**A**ccusationē hanc concludit Apostolus vers. 32. Sciunt igitur gentes justitiam Dei, hoc est, ex naturali luce & notitia honestarum & turpium agnoscunt quodammodo quae justa sunt: & simul convicti sunt conscientiae testimonio, quod qui talia ante enumerata agunt, digni sunt mortenibilominus eadē vel faciunt ipsi, vel facientibus consentiunt eaq; in Repub. tolerant & excusant: Qua voce summus peccatorum gradus notatur: Gravius enim est peccata approbare, quam peccare. Quin etiam sapientissimos Legislatores & Philosophos hac sententia perstringit Apostolus. Plato enim in sua Repub. uxorum communione admittit. Etsi igitur sapientiores non perinde polluuntur, ut ceteri, tamē cum & ipsi peccatores sint, insuper aliorum peccatorum rei fiunt. Manifestissimum igitur hinc est, gentes coram Deo justas esse aut dici non posse.

## THESE.

### I.

Hoc textu Apostolico proponitur doctrina de Lege naturae seu notitiis naturalibus, reliquis in mente hominis, de Deo & rebus divinis, deq; discrimine honestorum & turpium, & de his quae ex notitiis istis & consideratione ordinis atq; eventuum in natura bona consequentia elicuntur.

### II.

Etsi quidam Philosophorum affirmant, mentem hominis similem esse rasae tabulae, in qua nihil sit scriptum, possint autem inscribi omnia: Tamen doctrina Ecclesiae & experientia ipsa contra docent, superesse aliquas in mentibus humanis notitias, ex ipsa natura haustas, ac proinde omnibus hominibus notas. Hoc docet Paulus hoc capite vers. 19. & Rom. 2. vers. 15. Gentes habent opus Legis scriptum in cordibus.

### III.

Quod enim de impijs dicitur Psal. 10. Omnes cogitationes impij sunt: Non est Deus: & Psal. 14. Dixit insipiens in corde suo, non est Deus: Id non de habitu naturae, sed de affectu malitiae eorum est intelligendum: Etsi enim veras notitias de Deo detinent in injustitia, ut Paulus loquitur, easq; funditus evellere animis volunt, tamen conscientiae propriae testimonio erroris & impietatis convincuntur. Rom. 2. vers. 15.

### IV.

Homo quidem in prima creatione creatus est à Deo in justitia et sanctitate vera, congruente cum Lege Dei, & luxit mens ejus excellenti sapientia

pientia & cognitione essentiae & voluntatis Dei & rerum creatarum: Sed per peccatum originis horrendae tenebrae mentes humanas occuparunt adeoq; excæcarunt, ut vix umbra aliqua notiarum homini relata sit, quæ tamen ipsa ad veri Dei agnitionem & veram fidem accendendam nihil facit.

V.

Est autem notitia juris naturæ ex duplice orta principio: Partim enim mentibus hominum natura insita est ut nōn vidi evoīā: Partim rationis, usū ex rerum creatarum contemplatione acquisita: Vtrumq; principium dicitur in textu Apostoli, patefactio divina. ver. 19.

VI.

Prioris generis ea sunt, ἀξιωματα quorum documenta in plerisq; disciplinis obvia sunt, ut natura notum est, effectum non esse sine aliqua causa, totum esse majus sua parte, Plus uno non esse verum, de quolibet veram esse affirmationem vel negationem &c. Ita φύση mens humana habet notitiam numerorum, σόγγας in cordibus, discrimin honestorum & turpium &c.

VII.

Posterioris generis sunt ea, quæ ex libro naturæ petita per bonā consequentiam, testimonium de Deo conditore dicunt. Impossibile est enim, ut moles tanta tam exquisito ornatu cultuque prædicta extiterit casu: Et ipsa causarum connexio & progressus tandem monstrat causam primam: Adhuc ordo in motu corporum cœlestium, in propagatione specierum, in rete factorum præmijs, & scelerum pœnis, in prædictionibus futurorum & in rerum omnium finibus, testatur esse Deum qui hæc omnia creavit & divina sapientia gubernat.

VIII.

Quia vero Paulus hoc loco ait γνῶσον θεὸν manifestatum gentibus, probè discernenda est notitia naturalis de Deo ejusque operibus ab ijs capitibus, quæ solius fidei Christianæ objecta sunt, ut de Sacrosancta Trinitate, de Christo redemptore generis humani, omniaque Evangelij mysteria.

IX.

Hæc enim non ex principijs natura notis, sed ex sola patefactio-

ne divinæ vocis petenda sunt: Romanor. 16, Coloss. 1, Evangelium



est mysterium absconditum: Matth. 11. Nemo novit Patrem nisi filius & cui voluerit filius revelare Matth. 16. Caro & sanguis non revelavit tibi.

X.

Hoc igitur Paulus vocat γνῶσιν δεῖ v. 19. καὶ οὐδεὶς δεῖ, v. 13. & στρατόμαν δεῖ v. 32. quod videlicet mens humana testimonio conscientiae & consideratione naturae convicta, agnoscit & fatetur esse Deum, & quidem unum, intelligentem, omnipotentem, aeternum, bonum, justum, qui sit colendus ab homine, & quidem pura mente, & sit vindicta scelerum, & remunerator beneficiorum Act. 14. v. 17. Deus non reliquit se αὐτῷ τυραννοῦ.

XI.

De secundæ tabulæ Decalogi operibus inquit Apostolus Rom. 2. v. 14. Quod gentes naturaliter ea, quæ legis sunt, faciant, imbutæ notitia naturali de discrimine honestorum & turpium, & scientes regulam: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris..

XII.

Notandus autem est simul principiorum naturalium usus & abusus: Verus eorum usus est, quod dicunt testimonium de Deo & providentia, quod discernunt hominem a brutis, & sunt fontes legum justiciae & ordinis in societate humana, & serviunt gubernationi externæ locomotivæ & honestæ disciplinæ.

XIII.

Per accidens habent etiam hunc usum noticie naturales, quod gentibus adimant omnem justiciæ & perfectionis laudem, & excusationis coram Deo materiam, cum propria impiorum conscientia illis dictaret, Deum bonum, justum & sanctum omnis turpitudinis & qđ in iacta hostem, ultorem & vindicem esse.

XIV.

Abusus noticiarum naturalium est, quando eis tribuitur aliqua vis in regeneratione hominis & accendenda fide: Tum si quis fingat homines ante diluvium vixisse secundum rectæ rationis dictamen, & sic salvatos esse, ut Scholasticorum quidam sensere: Nec dissimilis insaniam fuit Zwingli, qui ethnicos inculpatè coram mundo secundum rectam rationem viventes, sine Christo salvatos finxit. Vide & Erasmus in præfat. Tuscul. quæst:

XV.

Vt hi errores caveantur, doctrinæ de noticijs naturalibus hæc addenda est limitatio: Supereesse quidem aliquas ejusmodi noticias in mente, & colligi plures posse ex opere creationis: sed tamen eas esse admudum imperfectas, cum de præcipuis Dei mysterijs & vera ratione consequendæ justicie coram Deo, deq. Christo mediatore unicq. nihil sciant, & insuper obscuras

sturas esse, quæ non plenè & certò de Deo ejusq; cultu docere homines pos-  
sint. Vnde Athenienses Actor. 17. serviunt ignoto Deo.

XVI.

Assensio quoq; admodum languida & effectus earundem debilis est,  
quandoquidem corda peccato originis penitus sunt depravata, & judici-  
um rectæ rationis impetu affectuum, potentia ac insidijs Diaboli, pravis  
exemplis aliorum & spe impunitatis temerè concepta, multis modis turba-  
tur, ac sàpè plenè everitur, sicut Apostolus ipse prolatis gentilium pec-  
catis ostendit hoc capite.

XVII.

Ex quo liquet id, quod Apostolus sibi probandum sumpsit in gubernatione locomotivæ & motuum omnium secundum rectæ rationis judicium,  
adeoq; in ipsis notitijs naturalibus seu Lege naturæ justitiam coram Deo  
querendam non esse. Et simul hac ratione tota doctrina Philosophorū de  
justicia, ex fontibus juris naturæ petita, ut imperfecta & ad salvandos  
homines omnino inepta ab Apostolo rejicitur.

XVIII.

Et si autem honesta gubernatio locomotivæ, secundum rectæ rationis  
dictamen & notitias naturales, non est justitia nostra coram Deo: Tamē  
necessaria est & requiritur etiam à non renatis: Quia est δικαιωμα θεοῦ,  
quod gentes agnoscunt & sequi tenentur, ut conscientiæ propriæ satisfa-  
ciant, & ut conservetur societas humana, quæ violatione disciplinæ e-  
vertitur.

XIX.

Idcirco aliqui semper etiam inter Ethnicos fuerunt, qui singularibus  
& heroicis donis instruti, in disciplina externa præstanta fuerunt prom-  
ptiores cæteris, et alieni ab insanis confusionibus vulgi, ut Aristoteles, So-  
crates, Plato, Lycurgus, Solon, Scipio, Cato &c. qui & reliquis exemplo  
fuerunt & virtutis præmia vel in hac vita sunt consecuti, vel post mortem  
mitiore damnationis sensu experientur.

XX.

Deniq; judicium rationis rectæ sequendo vitari possunt horrenda fla-  
glia, quæ enumerat Apostolus, & pœnae, quæ atrocia scelera comitari so-  
lent. Hanc causam prolixè tractat hoc capite Paulus, ostendens, non tan-  
tum extremas Rerum publicarum eversiones & mutationes, & familiarū  
excisiones, quas etiam Ethnici ceu pœnas scelerum agnoverunt: Sed etiam  
ipsagentium peccata enormia, fuisse epicurei contentus Dei & horrendæ  
idolatriæ pœnas.

## XXI.

Ter enim inculcat hanc sententiam, dicens, gentes traditas esse à Deo  
in desiderijs cordium suorum ad immundiciem: v. 24. in passiones ignomi-  
niae v. 26. in reprobum sensum, v. 28. quia contra principia rectae ratio-  
nis egerint, & Deum agnatum non recte glorificarint.

## XXII.

Recte autem phrasis Apostoli figurata est intelligenda: Non enim  
Deus impulit Ethnicos ad peccandum occulta aliqua ἐνέγρεις flectens eo-  
rum animos & voluntates ad ejusmodi scelera patranda, quæ v. 27. &  
sequent: enumerantur. Deus enim non est Diabolus, qui solus est mali  
culpæ autor. Ioh. 3. v. 8. Sed est justus & bonus, qui neq; abscondita  
neq; revelata voluntate, (hæ enim non pugnant inter se) delectatur pec-  
cato. Psal. 5.

## XXIII.

Sed phrasis Apostolica, qua Deus dicitur tradere in reprobam men-  
tem, ut & aliæ consimiles Propheticæ & Apostolicae, quibus Deus dicitur  
impios indurare & excæcare, intelligendæ sunt: Primo de desertione divi-  
na, qua Deus gratiam suam subtrahens, relinquit impios in tenebris.

## XXIV.

Secundò de eventu per accidens, quod oblato verbo, corda sibi relicta,  
& petulanter agnitæ veritati repugnantia indurantur, ut Pharisæi visis  
Christi miraculis, excæcantur, discipuli eisdem visis, convertuntur & il-  
luminantur.

## XXV.

Deniq; Deus dicitur tradere in reprobam mentem, cum justo suo judi-  
cio impios Satanæ tanquam carnifici ac ministro suo relinquit excæcan-  
dos, sicut 2. Cor. 4. Deus hujus seculi excæcavit mentes infidelium.

## XXVI.

Quatenus igitur traditio in reprobam mentem pœna est præcedenti-  
um scelerum, reducitur ad normam justitiae divinæ, & Deo tribuitur, qua-  
tenus est peccatum & culpa, Diabolo & propriæ hominum voluntati in-  
solidum est tribuenda.

## XXVII.

Ideò eadem actio excæcandi & tradendi in passiones ignominiæ, tri-  
buitur Diabolo 2. Cor. 4. & hominibus Ephes. 4. v. 19. Gentes ἀπληγ-  
kótes semetipsas tradiderunt impudicitiæ, in operationem immundiciæ  
omnis in avaritiam.

Questio-

## Quæstiones.

### I.

An imagines sacras pingere aut sculpere liceat v. 23.?

Respondeo: Quæ Dei essentiam præter & contra verbum (Deut. 4.) depictam ostendunt, aut rerum fictarum typos oculis subjiciunt, aut idolatriæ deserviunt, & intuentibus scandalum dare possunt: Ejusmodi pingendæ non sunt, & si pictæ fuerint auctoritate magistratus, sunt abolendæ: Quæ verò hujus generis non sunt, ex immitiò amoventur ab hypocritis, qui, dum majestatem & gloriam Christo Salvatori, qua homo est, debitā, blasphemant, Sacra menta novi Testamenti potissimā substantiæ parte evacuant, Sanguinē Christi pro omnibus hominibus effusum, pedibus conculcant, ut videantur Zelotæ, bellum cum imaginibus organis Musicis & altaribus suscipiunt, & fanatico spiritu Carolstadij se agitari publicè ostendunt.

### II.

An omnia peccata paria sint v. 28?

Respondeo: Ratione judicij divini secundum legem, quæ maledictionem omnibus mandatorum violatoribus denunciat, pariter omne peccatum est avorūia, & sententiæ Legis subiectum. Ratione verò causarum & circumstantiarum certum est, gradus esse, ut peccatorum ita & paenarum, us ex hoc loco Apostoli videre est & Matth. 11. Luc. 10.

### III.

An alieni peccati reatus contrahi possit v. 32.?

Respondeo: Imò: Paulus hoc textu inquit, digni morte sunt non tantum qui talia agunt, sed qui agentibus consentiunt. Ezech. 33, Matth. 18.

Soli Deo gloria.



200000

## Geographia

AB 22 841 (1)




56.

Hi.77


WCP





**Farbkarte #13**

B.I.G.



*DISPUTATIO SECUNDA,*  
**EX EPISTOLA**  
PAULI AD ROMANOS CON.  
tinens & vñlvs in tertia & quartæ partis  
capitis primi:

*Cujus positiones divina adjuvan-  
te gratia*

**PRÆSIDE DAVIDE RVN-  
GIO, S. THEOLOGIÆ DOCTORE  
& Professore, in privato disputationum  
Theologicarum collegio de-  
fendet,**

*M. Zacharias Sommerus  
Fridebergensis Silesius.*

Die 3. Ianuarij Anno 1596. hora septima matutina.



WITEBERGÆ,  
Typis M. Georgij Mullerj, Anno 1596.

